



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nervi Sine Mole: h. e. Controversiarvm Roberti Bellarmini
S. Rom. Ecclesiae Cardinalis Eminentissimi Compendium,
à cavillis & imposturis Guilielmi Amesij ... Vindicatum**

Erbermann, Veit

Herbipoli, 1661

Cap. II. De certitudine Justitiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9498

curatam dogma fidei per suffragia decideretur) eminentissimus C. Seripandus cum quinque alijs. Sed hæc nihil momenti habent contra universalis Concilii definitionem à Sede Apostolica approbatam. Vnde non dubitandum illos ipsos qui primò antea rem plenè discussam dissentiebant, re postea decisâ, devotæ mentis obsequio privatam suam opinionem submisisse œcumenici Concilii decreto. Quod si ille de Iustificatione Contareni tractatus ante Concil. Tridentinum editus, à Parisiensibus Theologis duobus (Hugon. & Aymon nominantur in editione Paris. 1571. quam ab Amelio nominatam, ad manum habeo: Gerhardus p. 694. ex Editione Veneta 1589. nominat Michaëlem Ferre, Franc: Geracaum & Ioa. Maldonatum, quod sanè mirum!) correctus satis non est, vel si verba nonnulla Contareni duriora vel obscuriora putarunt posse pati sensum Catholicum, quid hinc, quæso, communi Catholicorum dogmati decedit? Videatur C. Pallavicin. in Historia Conc. Trid. lib. 3. cap. 4. 6. 9. & 11. cujus Latina editio jam appropinquat prælo in officina Plantiniana. Gerhardus nihil hinc diversi habet, quod sit momenti. Vnam tamen Sycophantiam eximiam, sed puerilem, præterire non libet. Theol. 66. & 67. ait: *Si Monachorum merita possunt aliis intervenientis pecuniæ applicari; cur non possunt Christi merita & iustitia per Fidem nobis applicari?* Dicat Titius, hæc Sequela sitne potiùs puerilis, an planè stolidi? Omnia merita aliena, si profunt, profunt *efficienter*, non *formaliter*.

CAPVT SECVNDVM.

De certitudine Iustitiæ.

§. 1.

Status cõtroversie nonnullis prænotatis exponitur.

I. Certitudo est firmitas quædam & immutabilitas veritatis; vel ut alii dicunt, est necessaria veritas. Estque duplex (vel triplex potiùs.) 1. Objectiva, quæ est connexio necessaria terminorum, si-

ve secundum se, ut, *homo est rationalis*, sive ut sub-
sunt principio adaequate certo, ut, *canis Tobia movet*
caudam, posito quod DEVS revelavit. 2. Cogni-
tionis, seu formalis, quæ est necessaria veritas actus
orta ex certitudine objecti. 3. est cognoscentis, sit-
ma scil. adhæsiō intellectus alicui objecto. Ame-
sius censet de his magnopere non esse contendendum: quæ-
rit is tamen nodum in scirpo. II. Quædam est
certitudo evidens earum scil. rerum quæ aliquo modo
videntur; cujus primum gradum obtinent prima
rerum principia; secundum conclusiones deductæ;
tertium ea quæ sensibus corporis percipiuntur,
quæ dicitur certitudo experientia. Non esse au-
tem certitudinem idem formaliter quod Eviden-
tia, constat ex separatione harum proprietatum;
nam in actu Fidei divinæ reperitur summa certitu-
do, cum obscuritate veritatis, licet cum evidentia
credibilitatis. Communiter certitudo objecti &
cognitionis solet assignari triplex, scil. 1. *Moralis*,
quæ habetur ex motivis absolute quidem fallibili-
bus, moraliter tamen infallibilibus, quæ nempe
nullam præbent spem aut formidinem prudentem
de opposito. 2. *physica*, quæ naturaliter est infalli-
bilis, miraculo tamen fallere potest, ut, ignem cale-
facere physice certum est, etiam DEVS possit, sus-
pendendo concursum ad calefaciendum, reddere
factum. 3. *metaphysica*, habetur ex objecto, quod
nec divinitus aliter esse potest, ut certitudo de ho-
mine quod sit rationalis. Bellarminus ponit præ-
ter certitudinem metaphysicam sed obscuram Fi-
dei divinæ, & Moralem fidei humanæ (absolute
quidem fallibilem, sed de qua non nisi temere du-
bitatur) tertium & infimum gradum, quem vocat
conjecturalem, & opinionis potius quam fidei, quæ
nempe tot signis & conjecturis nititur, ut secun-
dum hominem reddat, & anxietatem, non
tamen formidinem omnem excludat. Vtrum
hæc mereatur nomen Certitudinis, parum nostra
interest;

Cap
interest: dubi
assentitur, lic
Amesius 1.
anima etiam hab
Scientiam habet
bonus sit Domini
Fide, Spe, Charit
tenon est quod an
haberi aliqua
intellectualibu
bus prædicatis
certissimum t
specificum ple
scere posse. N
sumus habere
genere, nedum
que quam certi
physice infalli
gnitionis aut a
manet, an tal
atingam actu
verò rem super
tè naturali exp
per species alie
fiat? Manifesti
sponte & fatuè
experimentalit
actibus Fidei,
possit tali gust
Vasquium con
Amesius, nemp
deterior est: c
quibus veritas
mysteria illa cred
mana eius qui pro
assensu infuso, qu
DEI.] Idi plu
Vasq. 1. 2. Disp

interest: dubius sanè talis formaliter non est, quia assentitur, licet non absque formidine. Objicit Amesius 1. *Malè restringi experientiam ad sensus, cum anima etiam habeat suam experientiam, & quasi sensum. Scientiam habet, qui sentit se scire. Gustant fideles quàm bonus sit Dominus. Si ista certitudo nobis concedatur de Fide, Spe, Charitate, & iustitia inharrente, vel sanctificante, non est quod amplius postulemus.* Resp. Ut demus, haberi aliquam experientiam de nostris actibus intellectualibus, eamque certitudinem de aliquibus prædicatis universalioribus ejusmodi actuum; certissimum tamen est nos ultimum prædicatum specificum plerumque non nisi probabiliter cognoscere posse. Nam, ut supra etiam notavi, non possumus habere evidentiam de actu supernaturali in genere, nedum in particulari & in individuo; adeoque quàm certum & evidens mihi est adeoque Metaphysicè infallibile, me habere aliquem actum cognitionis aut amoris DEI, tam obscurum semper manet, an tale objectum supernaturale spirituale attingam actu supernaturali. Quomodo enim verò rem supernaturalem in substantia, actu merè naturali experimentaliter possem attingere, cum per species alienas & merè naturales & sensibiles id fiat? Manifestis illusionibus Dæmonis sine dubio sponte & fatuè se exponit, qui putat se tali gustu experimentalis & sensibili posse ita certificari de suis actibus Fidei, Spei, Charitatis, Iustitiæ &c. ut non possit tali gustui & experientia falsum subesse. Vasquium contra Nos producit fide sibi consuetâ Amesius, nempe puritanica, aut Græcâ, aut si qua deterior est: omittit quippe iterata Vasqui verba quibus veritas apertissimè asseritur, nempe, [*sive mysteria illa credat assensu illo, qui nititur autoritate humana eius qui proponit, sive præterea credat illa etiam alio assensu infuso, quem dicunt Theologi proximè nisi testimonio DEI.*] Id ipsum sanè est, quod dicimus. Videatur Vasq. 1. 2. Disp. 201. cap. 2. & patebit fraudulenta

truncatio. Objicit dein contra Certitudinem in-
evidentem: *Certitudo Fidei in Scripturis vocatur lux;*
quamvis igitur non habeat evidentiam rei aut rationis;
quia tamen evidentiam habet revelationis, non debet sim-
pliciter vocari obscura. Resp. Hic Amesius proxi-
mè accedit ad stipteum Dannhauveri errorem,
quo aiebat, *Hæc Biblia esse verbum seu revelationem*
DEI esse evidens evidentia summâ, moralis, physica, & me-
taphysica. An fortè facie ad faciem Christus locu-
tus est Amesio aut Dannhauvero, & hunc homi-
nem DEVM esse evidenter cognovit? Vix tolerabi-
lius illis ineptiit Conringius Medicus in suo Exa-
mine. Stupenda sanè, imò stupida persuasio! Non
desunt præstantes Theologi, qui cum C. Lugone
ne quidem in supremo Angelo viatore admittunt
Evidentiam in attestante; & isti terræ filii hanc sibi
tam audacter arrogant! His ergo delitiis explosis,
rectè Bell. III. Statum Controversiæ absque falla-
cia & ambiguitate sic constituit:

¶ *Vtrum debeat aut possit aliquis, sine spe-*
ciali revelatione certus esse, certitudine fidei divi-
nae, cui nullo modo potest subesse falsum, sibi remis-
sa esse peccata? Amesius etiam hinc habet quod cap-
pat. Ait, *Certitudo fidei divina sine omni ambiguitate*
& fallacia non ponitur à Bell. Cur verò? *Quia non di-*
stinguit gradus certitudinis huius, respectu principiorum,
quæ immediate revelantur & conclusiones ex illis eviden-
ter deductas: neque inter certitudinem fidei in sese, & illam
quæ est ex fide, vel in apprehensione, vel in spe. Resp. Prior
distinctio vera quidem est, sed hinc ea opus non ha-
bemus; posterior est distinctio rationis ratiocinan-
tis Puritanicè.

§. 2.

Adstruitur Veritas Catholica.

Lutherus, Calvinusque cum suis docent. i. posse
fideles eam notitiam habere de sua gratia & justifi-
catione,

catione, ut ce-
cata. 2. non so-
hoc de se statu-
turos. 3. Hac
E Catholicis
videtur affirm-
tum Bucerii &
in primo tan-
Sed contra h-
est: Non possi-
dinem Fidei o-
ciali revelatio-
VI. cap. 9. C-
testimoniis p-
Prov. 20. 8. S-
purus sum à pe-
detur Vasqui-
probabile; n-
nescit homo ut-
futurum serva-
ori sententia
Bellarmino a-
tem ex pest-
sensusque e-
justi & sapier-
tur; illis tan-
sint amore,
affirmare pos-
tam intuem-
tempore ma-
mesii est, què-
tur incerta:)
sione corrupta
firmiter VVit-
one Bellarm-
609. & seqq.
Quæ
12. 15. 21.
11. & x.

catione, ut certâ fide statuunt, sibi remissa esse peccata. 2. non solum posse, sed etiam debere omnes hoc de se statuere, alioqui nec fideles, nec justos futuros. 3. Hac ipsâ fide, & solâ quidem nos justificari. E Catholicis Enchiridion Colonienſe duo priora videtur affirmare, adeoque redolet in hoc fermentum Buceſi & Melanchthonis: Ambr. Catharinus in primo tantum Lutheri - Calvinicis conſenſit. Sed contra hos omnes errores Veritas Catholica est: Non posse homines in hac vita habere certitudinem Fidei de sua iustitia, nisi DEVS aliquos speciali revelatione dignetur. Ita definit Trid. Sess. VI. cap. 9. Quæ Veritas ex pluribus SS. Scripturæ testimoniis probari solet, Bellarminus affert 1. ex Prov. 20. 8. *Quis potest dicere mundum est cor meum; purus sum à peccatis?* Sed hoc non admodum efficax videtur Vasquio 1. 2. Disp. 200. 4. Transeat ergo, ut probabile, non convincens. 2. illud Ecclesia. 2. 1. *nescit homo utrum odio, vel amore dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Quicquid verò sit de priori sententia (pro qua expositionem aut rationem à Bellarmino assignatam Vasq. videtur repudiare) saltem ex posteriori efficax sumitur argumentum, sensusque etiam juxta Vasq. hic est: sunt reverâ justî & sapientes, qui divinâ ope & auxilio operantur; illis tamen incertum adhuc est, utrum digni sint amore, an odio; nec alterum illorum nobis affirmare possunt, sed ipsis & nobis, qui eorum vitam intuemur, omnia servantur in incertum suo tempore manifestanda. Evasio præcipua hic Amesii est, quòd verba illa (*omnia in futurum servantur incerta:*) non sequantur apud Salomonem, nisi in versione corrupta. Verum hoc Effugium jam dudum firmiter Vitackero præclusit Gretſerus in Defensione Bellarm. Tom. 1. Lib. 2. de V. D. cap. 12. pag. 609. & seqq.

Quæ ad probandum affert Bell. ex Job. 9. 12. 15. 21. & cap. 31. 14. Item ex Psal. 19. 11. & 1. Cor. 4. 4. non urgeo, quia

Vasq. & alij censent non esse omnino efficacia ea testimonia ad intentum nostrum convincendum, etsi probabiliter ijs ita usi fuerint SS. Patres à Valquio allegari. Probatur igitur 3. ex ijs testimoniis, quæ vel requirunt ex parte nostra varias condiciones ut justificemur; vel indicant incertum esse, an qui agit pœnitentiam consequatur remissionem; vel admonent, ne simus nimium securi, quasi certi simus de iustitia adepti. Primi generis testimonia sunt Deut. 4. *si in toto corde quaesieris, inuenies eam* &c. 2. Paral. 6. Isa. 1. Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus pecc. &c. Ioa. 13. *Veri amici mei eritis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Act. 8. *Si credis in toto corde &c.* Hinc fit hæc planè Theologica demonstratio: Sine fide viva, & pœnitentia seria nemo justificatur, uti nec Lutheo-Calvinici negare audent (licet reliqua præter fidem tantum necessitate præsentia, non autem efficientia exigant.) At nemo certus esse potest, præsertim certitudine Fidei, se fidem vivam & pœnitentiam seriam habere. In nulla enim Scriptura testimonium habetur ejusmodi de fide & pœnitentia nostra in particulari. Ergo. Amesius. *Demonstratio ista Theologica si firma esset, omnem usum tolleret Theologiae. In nulla enim Scriptura legitur testimonium de Mahomete, aut de Alcorano eius in particulari, quod debeant damnari: an non igitur possumus esse certi certitudine fidei, abominationes istas esse detestandas? Idemque est de omnibus similibus particularibus, quæ nec in Scriptura, nec in ullo Concilio, aut Papa definitionibus exprimuntur.* Resp. Disparitas est hîc nimis luculenta. De conditionibus ad justificationem necessariis, suorumve actuum supernaturalitate nemo potest habere (citra privilegium specialis revelationis) certitudinem cui non possit subesse falsum: at de exemplis ab Amesio allatis habetur evidentia infallibilis. Evidens enim est Mahumetanos eorumque Alcoranum negare Chri-

Christum DEI
denter (juncta p
rit condemnabitur
Longe minus
ficam de pecca
ralibus in parti
supernaturalib
possibilitate)

Secundi gen
tur, incertum
sequatur remi
Ioel. 2. 12. Ion. 3
Amesius ope su
se hoc argumen
titudo disposit
edit id fieri poss
Sed illi, inquit
habent, aliam h
Simon Magus
& hi qui hab
tudinem de leg
non evadit.

Tertii g
simus nimium
adepta. Prov
12. 1. Pet. 1. 17
Amesius ex Scri
tem non poni in e
peccatorum in C
stratum est, h
sionis esse no
sumptionem
dei sciret, se
idare, & proba
Apostoli fier
seratudo mox

bonis operibus juxta Apostolum; ergo non mor-
ut quis justificatus est, habet certitudinem mor-
lem (nedum infallibilem Fidei:) de sua Iustitia &
salute: multò minùs ex solâ Fide pendet certitudo
Iustificationis. Amesius versans se in omnem par-
tem, effugium non invenit, quod non sit in sup-
rioribus jam præclusum.

Testimonia SS. Patrum à Bell. c. 7. pro hac ve-
ritate allata, quia nimis aperta, maluit silentio in-
volvere Amesius. Quid clarius illis S. August. ver-
bis, hom. 35. *Quamdiu vivimus hic, de nobis ipsi non
ipsi judicare non possumus, non dico quid eras erimus, sed
quid hodie simus.* Ita humiliter negat (ex sensu om-
nium Catholicorum) magna illa Aquila, quod tam
arroganter sibi asserunt neo-Evangelici bubones!

Confirmatur idem Ratione. I. Quia non
potest aliquid certum esse certitudine Fidei, nisi
aut immediatè contineatur in verbo DEI, aut ex
verbo DEI per evidentem consequentiam dedu-
catur. At in verbo DEI non continetur immedia-
tè particularis illa propositio: [*Talis vel talis homo
verè iustificatus est.*] neque potest ex verbo DEI per
evidentem consequentiam id colligi: quod pro-
batur. Nam ratiocinatio quam quis certitudi-
ne Fidei de sua iustitia ex verbo DEI concluderet,
hæc esse deberet: [*Verbum DEI testatur, omnes
verè conversos ad DEVM. & pœnitentiam seriò agentes,
peccatorum indulgentiam & gratiam obtinere. Mihi
autem evidens est mea vera conversio & pœnitentia. Mihi
igitur certum est certitudine Fidei, me indulgentiam &
gratiam accepisse.*] Sed hujus argumenti assumptio
non solum falsa, sed etiam impossibilis est, nisi
ad sit Revelatio.

Amesius hæc I. ad suam sacram anchoram, (so-
lam & specialem Fidem) confugit, jam supra satis
eversam. 2. ait: *Assumptionem non solus*

Cap.
possibilem & ver-
esse positum, ut
At quomodo
persecutum
est cor hominis
Ego Dominus
patet aditus ad
hominis, qui est
vmb. 2. II.
etiam omnes
liter & quoa
ra omnia; &
differentias f
certum est (c
lynceis istis
usque adeo
& citra privi
quod sui act
dei, Spei, C
dem eiusmo
ter omni in
les. Quomo
omnem ord
causam vel e
terit eviden
Et per han
quicquid n
Amesius; i
zii, Medina
veritatem t
planè dispar
larmino, ut
loquitur de
dina de sign
de signis
tis. Ale
dine gratia
lium loqu

possibile & veram, sed etiam in officio omnium fidelium esse positum, ut eam certam & firmam sibi reddant. At quomodo hoc paradoxum probat, contra tam perspicuum Hierem. 17. 9. Effatum: Præcor est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscer illud? Ego Dominus scrutans &c. At: alius quidem non patet aditus ad cor aliorum cognoscendum, sed spiritus hominis, qui est in homine, novit que sunt hominis. 1. Cor. 2. 11. Resp. Novit plurimos (in ò demus etiam omnes) actus suos internos homo, materialiter & quoad aliqua prædictata penetrata facilio- ra omnia; omnia etiam intima quoad ultimas differentias specificas, nego; pernego. Nimis certum est (quod iterum iterumque inculcandum lynceis istis bubonibus Luthero. Calvinicis) usque adeò nulli mortalium (de lege ordinaria, & cirra privilegium specialissimum) evidens esse quod sui actus sint hîc & nunc supernaturales Fidei, Spei, Charitatis &c. ut nec in universali quidem eiusmodi actus dari sit evidens, imò naturaliter omni intellectui creato sunt planè improbabilis. Quomodo enim id quod in substantia superat omnem ordinem naturæ creatæ, nec habet ullam causam vel effectum in sensus incurrentem, poterit evidentem certitudinem in nobis gignere? Et per hanc perspicuam veritatem evanescunt quicquid nebulæ inanisissimarum hîc fundit Amesius; inter quas etiam producit dicta Bannezii, Medina & Alensis, contra Bellarminum & veritatem tam lucidam. Bannez loquitur de re planè disparata, adeoque pueriliter opponitur Bellarmino, ut intuenti prudenti patebit. Bellarminus loquitur de signis veræ conversionis & gratiæ; Medina de signis verè fidelis & Catholici; & uterque de signis non infallibilibus, sed moraliter certis. Alensis denique non nisi morali certitudine gratiæ, ex gustu experimentalium rerum spirituum loquitur, comparato inter se hæretici

phantasticam suavitatem (qualem maximè hodie jactant specialis & solius Fidei iustificantis professores) cum sincera dulcedine, quam percipit anima sancta Catholica. Quid verò hoc ad præsentem controversiam?

II. Nemo tenetur certò credere certitudine Fidei, sibi remissa esse peccata. Nam ejusmodi articulus in nullo Symbolo Fidei continetur, & ejusmodi præceptum in nullo canone Ecclesiastico continetur. Ille enim, quo dicitur, *Credo remissionem peccatorum*, significat, in Ecclesia dari Baptismum in remissionem peccatorum. Amesius opponit pro responsione hunc Syllogismum: *Unusquisque fidelis tenetur illud credere certitudine Fidei, quod DEVS fidelibus promisit. Sed promisit fidelibus quod remitterentur ipsis peccata. Act. 10. 43. Ergo unusquisque fidelis tenetur credere certitudine Fidei sibi remissa esse peccata.* Resp. Falsa est Minor, si sumatur absolute: promisit enim tantum remissionem adultis sub conditione, si se converterint verè, & seriam egerint poenitentiam; de qua conditione impleta non habetur ab unoquoque nisi probabilitas, aut moralis certitudo. Idemque est de remissione pecc. per Sacram. Baptismi & Poenitentiae cum imperfecta dilectione vel contritione. Imò in hoc videtur ex duplici capite nasci incertitudo, nempe ex parte conferentis & suscipientis. Et roboratur hoc argumentum ulterius; quia si ejusmodi articulum Fidei haberemus, sequeretur, omnem hominem, qui peccat mortaliter, continuo fieri hæreticum. Non potest enim qui voluntariè peccat, credere se esse justum, nisi falsum dedita operâ credere velit. Amesius iterum opponit Bellarmino Medinam, sed iterum imperitè, aut malâ fide. Medina rectè ait, *fidelem teneri credere, quod habeat fidem divinam, (nempe ex parte objecti, non verò ex parte actûs:) & si de hac re dubitat hæreticus est.* Quid hinc contra Bellar-

Cap.
Bellarminum
sione pecc. &
ctio? 2. negat
credit quod est
quodlibet pecca
non possit crede
que hoc An
Quis enim es
nisi qui perti
Et quomodo
sibi remissa e
affectu (uti su
est patens, ut
suis, dum ait
tum dicim
credere, pecca
profus est, t
affectu habi
Non potest ex
remissionem
articulus Fid
Hunc enim c
discredere, &
to esse parati

IV. N
beant certitudo
generare super
perquam per
corr. & grat. e
de justitia vera
nemo eâ malè u
tum ut de inst
Cur enim non
stitiam & virt

IV. DEVS

Bellarminum? Ille de fidei objecto, hic de remissione pecc. & gratia: nunquid præclara contradictio? *2. negat sequelam, Tum quia non omnis qui non credit quod est credendum, est hæreticus: Tum quia non quodlibet peccatum sua natura mortale, facit ut peccator non possit credere peccata sibi esse remissa. Verum utrumque hoc Amesii effatum est perspicuè falsum. Quis enim est hæreticus (vel generaliter, infidelis) nisi qui pertinaciter discredidit, quæ credenda sunt? Et quomodo potest nisi impiâ temeritate credere sibi remissa esse peccata, in quibus scit se actu aut affectu (uti supponitur) hæreret? Veritas hæc tam est patens, ut re ipsa tandem illam profiteatur Amesius, dum ait: Si peccatum actu mortiferum intelligatur, tum dicimus, talem peccatorem non teneri eo tempore credere, peccata sibi esse remissa &c. At verò idem prorsus est, si de flagranti actu peccati, si de affectu habituali peccaminoso non retractato. Non potest ergo, ut agnoscit Amesius, tunc credere remissionem peccatorum suorum, Ergo hic non est articulus Fidei etiam juxta Luthero-Calvinicos. Hunc enim qualiscunque sit tenemur nunquam discredere, & quoad specificationem omni momento esse parati ad credendum.*

IV. Non expedit ordinariè ut homines habeant certitudinem de propria gratia, quia posset generare superbiam, quæ in hoc loco tentationis perquam periculosa est, ut docet S. Aug. lib. de corr. & grat. c. 13. Quod verò Amesius ait, *Idem de iustitia vera, quod de genuina virtute, dici posse, quod nemo eâ malè utatur; id de utraque verum est tantum ut de instrumento, non autem ut de objecto. Cur enim non posset quis vanè efferri ob veram iustitiam & virtutes quas obtinet?*

IV. DEVS revelavit specialiter nonnullis Sanctis
singulari

singulari beneficio, ut constat de SS. Antonio, Francisco &c. & de Apostolis non negat Amesius. Ad quid verò serviret specialis revelatio, si est articulus ab unoquoque firmiter credendus? Ridicula evasio est Amesii, cum ait, *revelatum specialiter fuisse Paulo, quod persequeretur Christum, licet omnes qui Ecclesiam persequerentur, debuerint & potuerint illud scire.* At ubinam continetur hic articulus Fidei? Et responso Amesii prorsus non est ad rem.

V. Denique cum omnes ferè hujus temporis hæretici hanc certitudinem jactent, tamen ipsorum sententiâ falluntur plurimi, nostrâ omnes Amesius. *Praclara hæc ratione probare posset Athenæus aliquis, nullam omnino certitudinem esse religionis veræ.* Resp. Assertio certa de existentia DEI neminem unum fallit: assertio seu persuasio certa & infallibilis de propria justitia plurimos ejus certitudinis assertores fallit. Quomodo ergo par est utrobique ratio?

§. 3.

*Expediuntur argumenta Lutherò-
Calvinica.*

Congerant illi multa SS. Script. testimonia; sed in nullo eorum continetur apertè illud dogma novitum, sed ope Quodlibeticæ sive interpretationis, siue Illationis obtinetur. Perlustremus ordine Amesiana.

I. *Vos cognoscetis eum, quia apud vos manet (Spiritus S.) & in vobis erit. Joan. 14. 17. & ibid. 20. In illa die cognoscetis, quia ego sum in Patre, & vos in me, & ego in vobis.* Quid verò hinc contra Nos? Nam i. absque ulla violentia, sed valde propriè & verè hoc totum accipitur de visione clara DEI tunc in altera vita, ut plures SS. PP. intellexerunt.

2. Et si

Ca
2. Et si etiam
xere Aposto
Luthero-C
communica
Ostendant
CHRISTI!
nibus fidei
promissa ne
mum certit
bare potest
phisticos ca
habet quiv
Spiritus S.
Catholica,
liter certis

II.
manus Abb
sumus filii
monium su
nostro (ut
oratio, qua
tini) non
seu revelat
pacis inter
sed conje
hic subsidi
vis huius v
fide ingen
pleverimu
Christus A
ritu qua pr
debemus, no
possumus in
supra lib. V
lus pecca
& arrog

2. Etsi etiam de presenti tempore quo in terris vi-
xere Apostoli, ea verba exponantur; quid hoc ad
Luthero-Calvinicos? an omnia illorum privilegia
communicata sunt neo-Evangelicis omnibus?
Ostendant diploma sigillatum summi Pontificis
CHRISTI! 3. Etsi gratis daretur, id etiam de om-
nibus fidelibus accipiendum, adhuc illa cognitio
promissa non esset Fidei infallibilis, sed ad sum-
mum certitudinis moralis. Amesius cum nihil pro-
bare potest, vertitur ad convitia & sannas, & so-
phisticos cavillos. Solatium genuinum & solidum
habet quivis Christianus, cum fide divinâ credit
Spiritus S. sua dona largiter effundere in Ecclesia
Catholica, simulque persuasus est ex signis mora-
liter certis, se esse vivum ejus Ecclesie membrum.

II. *Accepistis spiritum adoptionis, per quem cla-
mamus Abba Pater, testatur cum spiritu nostro, quod
sumus filii DEI. Rom. 8. 15. 16.* Resp. Sive hoc testi-
monium sit quo ipse Spiritus S. testatur cum Spiritu
nostro (ut interpretantur PP. Græci) sive id sit ipsa
oratio, qua dicimus, *Abba, Pater!* (ut volunt PP. La-
tini) non fit hoc per verbum aliquod expressum,
seu revelationem, sed per experimentum gustûs &
pacis internæ, quæ non parit certitudinem Fidei,
sed conjecturalem, & moralem. Amesius frustra
hic subsidium mendicat à commento Caiet. quam-
vis huius verba patiuntur sensum Catholicum de
fide in generali quod sumus filii DEI, nempe si im-
pleverimus conditionem præscriptam; sicut &
Christus Apostolis dixit: *Vos amici mei estis, si fece-
ritu qua præcepto vobis.* 2. Quod ait: *Præius certiores fieri
debemus, nos esse filios DEI, antequam DEVM cum fiducia
possimus invocare ut Patrem,* absurda hæresis est jam
suprà lib. V. c. 2. arg. 6. explosa, juxta quam certè nul-
lus peccati mortalis sibi conscius sine temeritate
& arrogancia posset orationem Dominicam
reci-

recitare. Ad quid ergo Dominus docuit nos orare,
Et dimitte nobis debita nostra?

III. Rom. 8. 36. *Certus sum, nullam rem posse nos separare à dilectione DEI in IESU Christo.* Resp. Neque hoc juvat quicquam advertarios. Nam et si Apostolus habuisset pro se infallibilem revelationem de sua perseverantia; an ideo etiam omnes Luthero Calvinici? 2. Neque tamen Apostolus etiam de se ullam fidei certitudinem prædicat, cum ait, certam in Domino spem habeo, persuasum habeo, confido, ut ex verbo Apostoli Græco legunt non tantum SS. Ambr. & Hieron. sed etiam Erasmi & Beza; quo etiam sensu Græcam eam vocem usurpat idem Apostolus c. 15. 14. Hebr. 6. 9. & 2. Tim. 1. 5. &c. sicut animosus miles & ardore belli accensus diceret: Certus & resolutus sum quod nec tela, nec saxa, nec ignes me arcebunt à mœnibus, quin ea conscendam. Sicut ergo falsò nimis & insufficienter ex eo, quòd c. 15. 14. dixerit, *Certus sum, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione &c.* colligeret quis, Apostolum fuisse ex fide divina certum, Romanos omnes plenos fuisse dilectione & scientia: ita & hîc. Nec interrogationes antecedentes, nec enumerationes malorum gravissimorum, nec gloriatio de superandis illis omnibus, nec usus verbi Græci, fidem divinam evincunt, nisi apud eos, apud quos Hermetia Quodlibetica omnia valet. Omitto Sycophantica Amessii.

IV. Ex 1. Corinth. 2. 12. *Accepimus Spiritum qui ex DEO est, ut sciamus, qua donata sunt nobis.* Hic iterum non nisi beneficio Quodlibetica stabilitur non tam fides, quam stulta & falsa præsumptio & impostura hæreticorum, recte ait Cornelius in Comment. ejus loci. Loquitur enim Apo-

Cap. 1.
Apostolus i
quæ data sunt
nos Apostol
nos, i. e. Ec
tà gratiâ Spi
ximè quant
sunt in DEO
prædestinati
per sp. eius &
quimur & pr
Fidei: sed m
non est fidei
dum, sed
An porrò Ap
tionem de d
sis, illo loco
V. 1.
quisque & sic
Quodlibetic
propria iusti
na, teneor
quicquid in
divina, ita se
VI. E
Gloriatio nost
quòd cum sine
quàm hinc
adhibeatur
VII.
tate, an sitis in
divina crede
connexio? M
tinthii de su
examine sin
de sua iustiti
lus: An non co
hoc agebat e
eos propria

Apostolus ibi in genere de donis, iisque tantum
quae data sunt Apostolis & Ecclesiae. q. d. Ut sciamus
nos Apostoli, quibus & quantis donis in genere
nos, i. e. Ecclesiam suam ditavit Christus, scil. quan-
ta gratia Spiritus S. redemptione, virtutibus, & ma-
ximè quanta gloria: de hac enim egit 1. 9. & haec
sunt in DEO, ut ait 1. 11. i. e. DEI libera voluntate &
praedestinatione; & haec à DEO data esse Ecclesiae
per sp. eius & revelationem scimus: haec autem lo-
quimur & praedicamus, ut sequitur, quasi articulum
Fidei: sed me esse ex iis, vel eorum esse participem,
non est fidei, sed coniecturae; nec publice praedican-
dum, sed secretò sperandum. Vide Cornelium.
An porro Apostoli aliàs habuerint specialem revela-
tionem de donis Spiritus S. in cuiusque corde diffu-
sis, illo loco non dicitur, nec ad rem nostram facit.

V. 1. Cor. 11. 25. *Probet autem seipsum unus-
quisque & sic de pane illo edat.* Qua arte, nisi Alchimiae
Quodlibeticae, hinc eliquabitur certitudo fidei de
propria iustitia? An quia, iuxta Regulas Fidei divi-
nae, teneor discutere meam conscientiam, ideo
quicquid in hac deprehendo, credere debebo, fide
divina, ita se habere? O Quodlibeticam!

VI. Eiusdem prorsus farinae est ex 1. Cor. 12.
*Gloriatio nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae,
quod cum sinceritate &c.* Citiùs ex pumice imbrem,
quàm hinc extundas intentum, nisi Quodlibetica
adhibeatur omnipotens. Vix tolerabilior est

VII. argutatio, ex 2. Cor. 13. 5. *Vosmetipsos ten-
tate, an sitis in Fide,* Ergo quisque potest & debet fide
divina credere se esse iustificatum. Quae hic quaeso
connexio? Monet Apostolus ut examinent se Co-
rinthii de sua fide. Esto. At ubi asseritur, quòd ex eo
examine singuli habeant certitudinem infallibilem
de sua iustitia? An fortè ex eo, quòd subdit Apo-
stolus: *Annon cognoscitis, quia Christus in vobis est?* At non
hoc agebat ea obiurgatione Apostolus, ut iuberet
eos propriam singulorum iustificationem explora-
re,

re, quasi nempe Christus in cordibus singulorum per fidem iustificantem sit; sed in vobis omnibus simul seu Ecclesia vestra. Videbant enim Corinthii suae Ecclesiae tot miracula, tot gratias & dona collata, ut non possent dubitare, Christum in ea esse & operari. Sensus ergo genuinus hic est: Videmini, ô Corinthii, à pseudo-Apostolis infatuati, non habere fidem certitate ergo vos, an ita sit. Si enim fidem retinetis, & in ea perstatis, credetis, imò videbitis, Christum (ut præcessit ac sequitur) in vobis esse potentem, potenter per me operari tot miracula &c. Videatur ibi Cornel. imò & Gloss. Ienens. Lutheran. Et quatinvis cum SS. Aug. & Hier hic admittatur, nos certam scientiam habere, quòd Fidem habeamus: non tamen habent hinc certitudo infallibilis, sed ad summum moralis, an hoc faciamus fide divina, an naturali & humana, an tam serio, firmiter, divinè, & ita uti opus est ad iustitiam & salutem.

VIII. Eph. 3. 13. *Per quem habemus fiduciam vel audaciam, & accessum in confidentia per fidem eius.* Resp. Certitudo gignit audaciam; sed ea certitudo non est de iustitia nostra, sed de veritate mysteriorum Fidei. Amelius. *Apostolus disertè dicit, hanc certitudinem esse per fidem Christi. Hanc autem fidem imputari ad iustitiam idem Apostolus ubique docet.* Resp. Hoc ultimum esse hæreticam imposturam, xv. Christianis sæculis ignotam, lib. v. ostensum est. Habemus autem confidentiam, audaciam, accessum ad DEVM per fidem Christi, quia hac (sive divina, à parte rei hæc in nobis sit, sive humana) animati confidenter accedimus ad thronum gratiæ DEI, sicut filius habens persuasum hunc esse suum patrem (etsi nec pater, nec filius habeant certitudinem infallibilem de sua illa necessitudine) fiducialiter ad illum accedit, & beneficia ab eo sibi pollicetur.

IX. Ioann. Ep. I. cap. 3. 4. & 3. *Fideles dicuntur cognoscere, & scire, & testimonium habere in se de gratia DEI.*

DEI. Resp. Ex iis vocibus non concluditur certitudo
 fidei divinæ, sed qualiscunque notitia. Nec sermo
 est in omnibus illis locis de fide & persuasione spe-
 ciali singulorum fidelium, ut somniant neo-Evan-
 gelici; sed sententiæ illæ omnes generales sunt, nec
 affirmant de omnibus & singulis infallibiliter ve-
 rum, quod in communi loquendo de fidelibus de-
 siderabat & sperabat Apostolus. Sicut B. Paulus cum
 loquitur de predestinatis, ferè se nper ita loquitur,
 quasi certus esset, non solum se, sed etiam illos om-
 nes, ad quos scribit, in numero electorum fuisse,
 quia scilicet id cupiebat & sperabat; sive Apostoli ex
 speciali privilegio infallibiliter fuerint certificati de
 sua iustitia, perseverantia & predestinatione, sive
 non, de quo non omino constat. Nam ex illo 1. Cor.
 9. *ne dum aliis prædicavero ipse reprobus efficiar*, cum S.
 Greg. & aliis probabiliter colligit Cornelius, Apo-
 stolum non habuisse infallibilem certitudinem de
 sua predestinatione & salute æterna. Sycophantatur
 strenuè Amestus cum hinc ait: *Hoc unum hic satis ostendit,*
quàm perdita sit hæc Pontificiorum causa, quàm ut
tantantur, sanctissimos Apostolos post abundantiam Spiritus
& omnis gratiæ in ipsos effusam, negant potuisse cum certi-
tudine respondere quæstioni illi, quàm Christus proposuit Pe-
tro adhuc tyroni, Simon Ioannis diligis me? Cui ta-
men Petrus iam tum (procul dubio verè) respondebat. Cer-
tè Domine, tu nosti quòd amem te. Meras verò has
esse calumnias & mendacia patet ex dictis. Nec
affirmamus, nec negamus absolutè de Apostolis
illam fidei certitudinem infallibilem, cum ex verbo
 DEI liquidò nobis non constet. Cum Petrus post
 resurrectionè Christo interroganti respondit. *Tu scis,*
quia amo Te; nihil est quod leviter prober, Petrum cer-
 titudine fidei asseverasse amorè suū esse supernatu-
 ralè, cum præsertim iam ex lapsu suo cautior factus,
 meritò suspectos haberet interiores proprios actus,
 de quibus ante passionè tam audacter pronunciabat.

quod

quod eventus docuerat falsum fuisse. Verbo, facile & certò homo in seprehendit actum fidei, spei dilectionis; an hic supernaturalis sit, quomodo (citra revelationem specialem) certò cognoscet, cum vel ipsa possibilitas eiusmodi actuum supernaturalium ignota sit Naturæ?

V. 2. Pet. 1. *Satagite, ut certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Cur enim verò ly *per bona opera*, omisit Amesius, nisi ut falleret? Vt ut de hoc fit, vocationem suam & electionem æternam ad salutem in se obiectivè quomodo quis reddat certam, cum præcedant nostram fidem & opera? Præstat ergo fides, quæ per dilectionem ferventer operatur, fiduciam moraliter certam de propria iustificatione & salute. Sed quid hinc præsidii neo-Evangelicæ præsumptioni de sua speciali fide? Sanè hinc vel maximè evertitur. Fides enim illa specialis, & iustificatio imputativa præcedunt operationem bonam, iuxta Amesium, ut supra observavimus cap. 1. §. 4. arg. 9. Quomodo autem id quod sequitur iustificationem & fidem specialem de propria iustificatione, potest illam certam reddere? An opera bona fidelium maiorem faciunt certitudinem apud Luthero-Calvinicos, quàm ipse actus fidei specialis, in quo tamen iidem omne suum solatium firmissimè defigunt?

XI. *Sanctissimi viri, qui in Scriptura laudantur, Abraham, David, Paulus, & alii similes de gratia DEI certis fuerunt per fidem.* Resp. Pauci illi & eximii viri fortassis peculiari revelatione certi fieri meruerunt de gratia, quam apud Dominum invenerunt, ut patet de Abrahamo ex Gen. 22. Amesius 1. *Per istiusmodi fortasse omnia argumenta in qualibet causa possent eludi.* Resp. Amesius fide sibi consueta recitavit verba Bellarmini, qui expresserat etiam Abel, Henoch, non autem Davidem & Paulum. De duobus ergo prioribus cum ex verbo DEI non constet, quòd habuerint de sua gratia revelationem, meritò

temperavit sua
Fortassu. Amesius
fuisse de gratia
nitudo non fuisse
dub. 3. Resp.
probabiliter ita
babilissimè & t
equivoco labo
eundem respe
velatorum, di
accidentaria
privatæ. Vide
Amesius 3. *Bel*
tendit, imò sibi ip
vel Paulum vel
nem aliam de gr
lem. Resp. Me
cap. 9. in Resp.
tura dum Sanct
tia revelatione
mendat & eo
certos reddit,
quàm illis, A
de certitudine q
eiusdem Fidei
duplicatam H
necicio almæ
Apostolus, G
cens: *Nih*
tua sum; qui eni
meum, ne dum
XII. C
promissionum
& conditiona
applicatur un
ditionata sit ab
stolus exigit.
quis citra sp
tem-

temperavit suam assertionem Bellarminus per ly
*Fortassu. Amesius 2. Si ex peculiari revelatione certè
 fuissent de gratia, tum (ex Pontificiorum sententia) illa cer-
 titudo non fuisset Fidei. Sic enim Bannez 2. 2. quæ. 1. a. 1.
 d. 3. Resp. Etsi pauci cum Bannezio parum
 probabiliter ita sentiant, longè tamen plures pro-
 babilissimè & ferè certò ostendunt, Bannezium in
 æquivoco laborare, & esse Fidei habitum realiter
 eundem respectu omnium obiectorum obscurè re-
 velatorum, differrè que tantùm formalitate aliqua
 accidentaria assensum revelationis Catholicæ &
 privatæ. Vide Suar. de Virt. Theol. Disp. 3. Sect. 10.
 Amesius 3. Bell. sine ulla certitudine hanc revelationem ob-
 tendit, imò sibi ipsi contradicit. Nam antea cap. 9. negavit
 vel Paulum vel Ioannem Apostolos sanctissimos certitudi-
 nem aliam de gratia DEI habuisse, quàm coniectura-
 lem. Resp. Mendacium hoc esse patebit legenti illud
 cap. 9. in Resp. ad 13. arg. Generaliter autem Scrip-
 tura dum Sanctos (quibus specialem de propria gra-
 tia revelationem non memorat factam esse) com-
 mendat & eorum iustitiam & virtutes laudat, nos
 certos reddit, quibus id utilissimum erat potius
 quàm illis, Amesius. Cum Scriptura certos nos reddat,
 de certitudine quam Sancti habuerunt, hoc facit, ut nos per
 eiusdem Fidei vestigia incedamus. Rom. 4. 12. Resp. Hanc
 duplicatam Hæresin Apostolo affingit Amesius be-
 neficio almæ suæ Quodlibeticæ. Nihil simile docet
 Apostolus, sed potius oppositum suo exemplo, di-
 cens: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustifica-
 tum sum; qui enim me iudicat, Dominus est: castigo corpus
 meum, ne dum aliis predicavero, reprobus efficiar.**

XII. Certitudo gratiæ & salutis nititur veritate
 promissionum DEI. Resp. Promissiones sunt generales
 & conditionatæ. Amesius. Fides est conditio, qua posita,
 applicatur universalis promissio singulis, & ex con-
 ditionata fit absoluta. Resp. Sit ita de Fide quam Apo-
 stolus exigit, nempe, *qua per dilectionem operatur.* At
 quis citra specialem revelationem novit infallibi-
 liter

liter, se credere, sperare, poenitere, diligere DEVM & proximum sicut oportet? Vide dicta supra §. 2. arg. 1. in fine.

XIII. *Scriptura tribuit Fidei plenissimam certitudinem. Rom. 4. Heb. 10 & 1. Jac. 1. sicut & Spei. Heb. 9.* Quis Catholicorum dubitat de ea? Specialis vero illa Fides Luthero-Calvinica XV. sæculis Ecclesie Christianæ incognita habet *plenissimam certitudinem pestilentissimi erroris*. Nimis verum est, (secusâ revelatione privatâ) Iustificationem singulorum non esse obiectum Fidei divinæ, sed præsumptionis hæreticæ, ut clarè supra evicimus. Nec est quòd *hæreticam asperitatem* huius effati aliqua ratione mitigemus: non enim *Apostolica phrasi* & sensui adversatur, sed hæreticæ tantum Glossæ Novantium. Crambe quam hîc reponit, de *particularibus propositionibus, de hoc Papa, hoc Concilio generali &c.* iam explosa est lib. 5. cap. 2. ad Th. 21. Porro ad Spem quæ attinet, Ea non solum non exigit, sed nec ferre potest ex parte intellectus certitudinem absolutam. Nam quòd certò scimus nos habituros, non propriè speramus, sed simpliciter expectamus. Quæ obijcit Amesius, ad quæstionem de nomine potius spectant. De re ipsa nimis clarè constat, actum Spei propriè dictum non habere essentialiter & infallibiliter connexam ipsam consecutionem boni sperati, alioqui omnis vel semel sperans vitam æternam posset de ea esse inamissibiliter securus; cuius vanissimæ præsumptionis absurditatē, mirū est Puritanos non palpare.

XIV. *Valde absurda est illa doctrina, quæ perpetuam dubitationem, hesitationem, & fluctuationem docet.* Sit ita! Sed sic debere fieri; non doctrina Catholicorum, sed impostura hæreticorum est. Amesius. 1. *Sati absurditatis est in eo quod docent Pontificii, perpetuo dubitandum esse de perseverantia & electione.* Resp. Et hæc obesa calumnia est. An Amesius, quia non habuit infallibilem de suo Patre, suæ fide coniugis &c. sed ad summum moralem certitudinem, aut opinionem verisimilem, ideò perpetuò dubitavit,

anxi-

anxiusque ha
Actæon? Sa
iuxta moniti
am operantur
dia & auxilio
cum hæc nost
solliciti sunt,
bat modo no
quotidie per
& electionem s
Spem certissi
anxius & du
speret de sua
quo mortife
se iuxta Apo
qui nos iudicet
super Solem
minis fugiun
communem
re quidem o
nietatem, & i
catur (propri
ti parti assent
habere opini
qua si careat
ta. Non est a
adiunctam fo
cit posse form
proficit in C
actus, sed etia
bius est de grat
gratias agere.
Bellarmini. Et
scientia infal
nionem prob
lem habet
idemque ob
inter homin
alteri fidere.

anxiusque hæsit, an esset adulteræ si ius, aut corniger Actæon? Sanè Catholici sapientissimè faciunt, qui iuxta monitū SS. Apostolorū, cum metu & tremore suam operantur salutē; eò quòd licet in divina misericordia & auxilio certissimam spem collocent, tamen cum hæc nostram cooperationem requirat, meritò solliciti sunt, ne fortè divinæ gratiæ eo quo oportebat modo non respondeant, ideòque satagunt, ut quotidie per bona opera certam faciant vocationem & electionem suam. Hic verò Timor optimè secum Spem certissimam compatitur; nec verè & propriè anxius & dubius formaliter est ille, qui licet bene speret de sua dispositione, nihilque sibi conscius sit, quo mortiferè Numen offenderit, meminit tamen se (iuxta Apostolum) non in hoc iustificatum esse, cum qui nos iudicet Dominus sit ille, cuius oculi lucidiores super Solem pervident ea, quæ etiam spiritum hominis fugiunt. Verissimè igitur pronunciavit Bell. communem Catholicorum sententiam non tollere quidem omnem formidinem, tollere tamen anxietatem, & ipsam etiam dubitationem, si dubius dicitur (propriè scil. & formaliter) qui non audet alteri parti assentiri. Tenetur quippe omnis Catholicus habere opinionem probabilem de sua Iustificatione, qua si careat, hoc ipso voluntariè est in malo statum. Non est autem necesse ut opinio semper habeat adiunctam formidinem actualem de opposito; sufficit posse formidare; & ita quò magis homo indies proficit in Charitate, magis etiam deficit non modo actus, sed etiam potentià formidandi. Amesius. Dubius est de gratia, qui non potest ex conscientia gratia DEO gratias agere. Sed hoc nemo Pontificius potest ex sententia Bellarmini. Ergo. Resp. Propositio falsa est, si de conscientia infallibiliter certa loquatur. Nam qui opinionem probabilem, aut certitudinem moralem habet, non est dubius circa unum idèmq; obiectum; alioqui fatendum esset omnia inter homines esse dubia, nec ullum debere alteri fidere. Perquàm falsa est etiam assumptio.

Nun-

Nunquid honestè gratias agimus D E O & hominibus ob beneficia, de quibus obtentis non infallibilem, sed moralem certitudinem, imò opinionem tantum habemus?

§. 4.

Gerhardinae subtilitates librantur.

Non libet omnes eius imaginarias antilogias lustrare, cum vix aliquid protulerit, quod non abunde cum Amesianis discussum sit. Tantum pauca specimina illationum ingeniosarum producere libet.

Th. 84. sic arguit; 3. Si fidem certissimam, qua dubitationem prorsus excludat, habere oportet de divinis promissionibus, etiam in particulari, utique ex promissione Evangelica de gratuita peccatorum remissione propter Christum, de eadem per Fidem certi esse possumus. Resp. Vbi Gerhardus eiusque Socienni ostenderint promissionem singulis absolutè factam, vires dabunt argumento.

Th. 92. Qui legè DEI perfectè implere potest, ille etiam potest esse certus de gratia DEI & sua salute. Renati (docent Bellarmino) legem DEI perfectè implere possunt. Ergo possunt esse certi de sua gratia & salute. Resp. Propositio suâ debilitate corrumpitur, quam Gerhard nec probat, nec probare potest. Potest utique perfectè quis implere præceptum dilectionis Dei super omnia, etsi non habeat evidentiam, aut certitudinem infallibilem de suo actu supernaturali. Etsi simplex fuerit, hoc ipsum ignorabit anima mea, aiebat S. Iob. Quod si in intuitiva oculorum sæpe contingit, ut communem rationem coloris perspicuè, specificam verò minimè cognoscamus: quanto facilius idem eveniet in actibus internis, spiritualibus, supernaturalibus, ut ultima eorum & specifica prædicata haud infallibiliter, sed probabiliter, aut (si multum) mo-

moraliter ce
de Gratia, ca

Th. 94

tia. Vbi p

relinquitur l

possunt esse ce

no est inger

baptizatus &

illa ipsa, de

tum tantum

verum. San

nisi moraler

entione bap

Th. 96

Professioner

sua solertia i

ligionem profes

nihil pœna tem

Puerilis illa

(quæ suppon

tem dispositi

itudinem in

ergo in his al

scendi propr

poralis remi

bilibus conj

Th. 99

salutis certitu

à Diabolis torq

in hac vita &

arrogatio pe

Rabulæ ad p

Theologiæ t

Th. 103

ta) nihil aliud

certa opinio.

mutabilitas v

ique fallacib

mo.

moraliter certo deprehendamus? Vide Suar. lib. IX. de Gratia. cap. II. & 12.

Th. 94. *Vbi nullum peccatum, ibi est perfecta iustitia. Vbi perfecta iustitia, ibi nullus dubitationi de gratia relinquatur locus. Ergo ad minimum recens baptizati possunt esse certi de gratia DEI.* Resp. Hæc argutio est ingenii abortientis informis embryo, non baptizatus & innominatus: Secunda propositio est illa ipsa, de qua est tota disputatio, & nos oppositum tantum-non-ad-oculum demonstramus esse verum. Sanè recens baptizatus non potest habere nisi moralem (ad summum) certitudinem de intentione baptizantis, etsi cætera omnia paterent.

Th. 96. & 7. ex eo, quòd Catholici dicunt, Professionem Religionis esse instar Baptismi, pro sua solertia infert Gerhard: *Ergo ad minimum isti Religionem professi certi esse poterunt de Gratia DEI, cum nihil pœnæ temporalis ipsis persolvendum restet &c.* Resp. Puerilis illatio ex pœnæ temporalis remissione (quæ supponit in Monasticen professio antecedentem dispositionem ad Iustificationem) arguere certitudinem infallibilem de justificatione. Non est ergo in his alia quàm in cæteris justis ratio cognoscendi propriam Iustitiam. Ipsi enim pœnæ temporalis remissio æquè ac justificatio ex signis probabilibus conjicitur.

Th. 99. *Quanta, inquit, absurditas est, maiorem salutis certitudinem tribuere animabus, quæ in Purgatorio à Diabolis torquentur, &c. quàm piis & verè credentibus in hac vita &c.* Resp. Suggestere hæc Gerhardi arrogatio posset amplam materiam alicui indocto Rabulæ ad persuadendum errorem rudi vulgo: apud Theologiæ tyrones etiam, nil nisi sibilos mēreretur.

Th. 103. *Hæc certitudo coniecturalis (à Bell. asserta) nihil aliud est, quàm implicatio contradictionis, ac incerta opinio. Quia ea certitudo non est firmitas & immutabilitas veritatis, sed nuda opinio solis coniecturis inque fallacibus superstructa.* Resp. Gerhard pueriliter
Kkkk nuga-

nugatur, Certitudo illa infimi gradus, sine dubio non habet firmitatem & immutabilitatem supremam (Metaphysicam) certitudinis; habet tamen aliquam humano scilicet modo; nisi forte Gerhard nunquam firmiter assensus fuerit, atque exploratè & immobiler verum crediderit, extitisse olim Aristotelem, Ciceronem, Augustinum, Concilium Nicænum 318. Patrum, Lutherum habuisse thori sociam Catharinam Boram, & similia sexcenta. Et tamen ejusmodi omnibus quis dubitet posse subesse falsum, ejusdem pueril tatis est, quod Th. 106, ait: *Vbi non excluditur omnis formido, ibi nec anxietas &c.* Mirum est si homo iste præ anxietate noctu dormire potuerit, cum juxta sua principia de omnibus moraliter tantum certis debuerit anxius esse!

CAPVT TERTIVM.

De certitudine Electionis.

Quæstio est, *An fidelis absq; speciali revelatione statuere possit ac debeat, se esse ex numero electorum? Pontificii negant, nos affirmamus, ait Amesius*

Hæc Calvinica assertio, (non tam hæretica, quam fatua) tum verbo DEI, tum manifestæ rationi adversatur. Quid apertius istis verbis, Rom. 11. *Tu fide stat, noli altius sapere, sed time, ne forte & tibi non parcat.* 1. Co. 10. *Qui stat, videat, ne cadat.* Apoc. 3. *Tene quod habes, ne forte alius accipiat coronam tuam.* 2. Ioan. *Vedete, ne perdatis quæ operati estis.* Ps. 2 *apprehendite disciplinam, ne pereatis de via iustæ, &c.* Hæc & similia sine dubio dicuntur fidelibus. At si hi certi sunt per suam specialem fidem de electione ad gloriam, merito ridebunt omnes ejusmodi admonitiones timorem incutere volentes, quia infallibiliter securi sunt de sua salute. Amesius quidem ait, ea Scripturæ dicta non exhortari veros fideles ad timorem reiectionis, sed ad *Muētatis divinæ reverentiam, ad sollicitam peccati cav-*
telam,